C

NOMINA.

Hydropiper quare dictum.

ΥΔΡΟΠΕΠΕΡΙ Græcis, Hydropiper Latinis, officinis incognitum, Germanis Waſſerpfeffer / oder Mucken kraut nominatur. Hydropiper autem à locis quibus naſcitur, & piperis ſapore quem præ ſe fert, quaſi dixeris piper aquatile, appellatum eſt. Muſcæ denique ab eo uehementer abhorrent: neque enim id quod ſucco eius aſperſum eſt attingunt, hinć adeò alteram appellationem Germani illi indiderunt.

FORMA.

Caulem ædit geniculatū, robuſtū, circa quem alarum concauitates, & folia Menthæ ſimilia, maiora, teneriora, candidiorá, guſtu piperis acri, non tamen odorato. Semen in ramulis fert ſecundum folia naſcens, continua ſerie congeſtum, racemoſum, & acre. Radicē exiguam & inutilē. Ex qua deſcriptione ſatis conſtat herbam hanc, cuius imaginē damus, eſſe Hydropiper: nulla ſiquidem nota eſt quæ illi non cōueniat. Caulis enim eius geniculatus, ſolidus, circa quem alæ panduntur, & folia Menthę cōſimilia, maiora tantū, hoc eſt, longiora multò, teneriora & albiora. Quæ ſingula facilè diligens quiſpiam oculis luſtrabit. Si uerò linguā conſulat, folia meram piperis acrimoniam reſipiunt, nullam tamen odoris ſuauitatē in eis deprehendet. Quod ſi reliquam faciem excuſſerit, offendet ſemen prope folia enatum racematim congeſtū, & quadā ſerie cohærens, ipſumq́ acre. Accedunt denique natales, facultates, & alia, ut nullus planè ambigendi locus relictus ſit. Damus hic etiam alterius herbæ quæ in aquis prouenit picturā, quam nōnulli Hydropiperis ſpeciē eſſe arbitrantur, quæ ferè Hederę folia obtinet, & ſecundū ea ſemen, Ari ſemini haud diſſimile. Nos à colore ſeminis appellauimus Hydropiper rubeum, germanicè rot
D Waſſerpfeffer. Huius herbę & racemoſus fructus, & folia acrimonia ſunt prædita.

LOCVS.

Gignitur prope ſtantes aquas, aut quæ leniter fluunt. Copioſe prouenit ad flūmen Pegnicum haud procul à Norimbergo.

TEMPVS.

Floret Auguſto menſe floribus albis ſpicatim cohærentibus, ac ſubinde ſemen minutum profert.

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt, non tamen uſqueadeo ut piper, & ſiccum: id quod guſtus abundē docet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Folia cum ſemine illita, œdemata, uetereſq́ duritias diſcutiunt. Sugillata delent. Siccata & tuſa pro pipere ſali & obſonijs miſcentur. Radix parua, nullius in medicina uſus.

EX GALENO.

Hydropiper à locis in quibus naſcitur, & à ſimilitudine quæ illi cum Pipere in guſtu eſt, nomen ſortitum eſt. Cæterum calidum eſt, ſed minus quàm piper. Atq́ herba ipſa etiamnum uiridis cum ſemine cataplaſmatis in modum impoſita ſugillata, & induratos tumores digerit.

EX AETIO.

Hydropiper herba eſt in aquoſis naſcens, ramuſculis ac foliȷs Menthę ſimilis, maior tantum, guſtu acerrima ut piper, perexigua ſemina ſingulis foliȷs ferens. Calida quidem eſt, non tamen accedens piperi, quæ recens illita ſugillata ac durities ſanat. Hanc nonnulli condimentis piperis loco addunt.

APPENDIX.

Cum interea temporis dum ſub prælo ſunt noſtri cōmentarij, quomodo ueteribus ſit appellata herba quam Hydropiper rubeum uocauimus diligentius cogito, tertiam Dracontij apud Plinīū lib. xxiiij. cap. xvi. ſpeciem eſſe cōperio: hanc enim ita pingit: Tertia demonſtratio fuit folio maiore quàm Cornus, radice harundinea, totidem